

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4919

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

457

## HERMENEUTICI.

458

tas *Hulna pro ultima, celarum Romanarum turrium pro cellarum &c.* Adi et Cod. CCCXXVI.

III. fol. 39. *ανεπιγεαφως* Commentarius brevis in Josue, cuius initium: *Moyses populum dei de egipciaca seruitute educturus et per desertum tribus diebus ad mon tem dei sinay peruenturus locutus est Pharaoni dicens. Dimitte populum domini &c.* Methodus Autoris est, prolixum Textus locum praemittere, illumque dein minutim ad Allegorias detorquere. Itaque et his utitur formulis: *Tax sato istorie fundamento Allegoriam et Moralitatem superedificemus. Historia taxsata quasi fundamento superducemus allegoriam uel moralitatem &c.* Ultima sunt: *In fine enim mundi iudei et gentiles in fide christi mortui requiescent in morte et sepultura ipsius christi.* Nomen Autoris non diligenter quae situm ignoro.

CLXVI. *X F. 83*

508 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 208. 4. non una manu exaratus, rubricis tamen distinctus et olim S. Pantaleonis in Colonia O. S. B. Varia complectitur, quae ordine indicanda sunt: I. Godfridus viterbiensis. in Cronica sua que dicitur Pantheon scribit inter alia de omnibus Sibillis et de nominibus earum et de patria et origine et aetibus ipsarum a diebus Alexandri magni. Haec rubro et

deinceps Excerptum, cuius initium: *Sibille generaliter omnes femme dicuntur prophetantes &c.* prout extat Chronicorum cit. P. X. T. II. Germ. Scriptor. Job. Pistorii edit. Ratisb. 1726. p. 157. f. usque ad notos Versus: *Judicij signum tellus &c.*

II. fol. 12. De Testamentis XII. Patriarcharum videlicet de Christi Nativitate Passione Resurrectione Ascensione et de die Judicij extremi prout in libro videlicet in Speculo Historiarum continentur. Vincentii Bellovac. O. P. Speculum Historiale intelligit Nostrum, cuius L. II. c. 125 — 29. leguntur, quae hic adfert. Praemittitur tamen: *Hec sunt Testamenta XII. Patriarcharum in quibus apertissime atque pulcherrime de Christo Prophecie, quas nuper transtulit Magister Robertus grossum caput (Grosseto) Linconen. Episcopus de Greco in Latinum.* De qua re dictum ad Cod. LXXXIX. Adhaerent Versus illi de X. Plagis Aegypti: *Prima rubens unda &c.* Aliiquid de Intervitu Pharaonis. Locus e *Vitis PP.* de Diis Aegyptiorum. De Morte Moysis e *Josepho* et *Hieronymo.* Versiculi illi: *Judicij signum &c.* e N. I. huc dilati. Demum Praedicta de Christo a *Balaam, Sibyllis, Ovidio, Virgilio* cum vexato *Fl. Josephi* de Eo Testimonio, et inepta Praedictio in an. 1420. Decasticho comprehensa, quae incipit:

*Gallorum leuitas germanos iustificabit,*

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4919

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

459

## C O D I C E S

460

quamque piget describere. Vides Congestorem hujus *Codicis e Filii Prophetarum fuisse*, quorum Stirps nec hodie defecit.

III. fol. 20. *Incipit Prologus in vitam sancte Hildegardis In Monte sancti Roperti Pingwen. Magunt. Dyoc.* Initium: *Dominis venerabilibus ludovico et godefrido abbatibus. theodericus humilis seruorum dei seruus &c.* Perfectis is Vitam hanc a Godefrido uiro, ut ait, *ingenio claro honesto stilo inchoatam*, distribuitque in *Libros III. quorum I. vitam, II. Visiones, III. Miracula Hildegardis enarrat.* Atque ita praefixa est *Epiſtolis Hildegardis in*

*edit. Colon. 1566. 4. et etiam apud Surium ad d. 17. Sept. legitur, unde collata cum Ms. Bodenensi recepta est in T. V. Actor. SS. p. 679. a quo Exemplo parum variat Nostrum.*

IV. fol. 61. *Incipit speculum futurorum temporum sancte Hildegardis uirginis. Alias Pentachronon.* Cum Prologis *Gebenonis Prioris in Everbach*, ut Codd. DCXXXII. et aliis, quos habes in *Indice.*

V. fol. 86. *Dieta Magistri Heinrici de Hassia de Scismate Ecclesie.* Carmen plusquam 800. Versuum, cuius Prooemium:

*Presulis eckardi (de Dersch) reuerendi Wormaciensis  
Egregii patris, plangentis deuia mundi  
Sic loquitur patris sapientes carmen ad aures  
Flebile de mesto prorumpens corde loquentis.*

Exemplum in Codice *Gennic.* a *Bern. Pezio Differt. Isag.* in T. I. *Thef. Anecdot.* p. 79. reperatum testatur Carmen istud ab Auctore editum a. 1393. Jam igitur *Viennae*, quo a. 1379. ab *Alber-*

*to Duce adceritus fuerat. Est porro Carmen istud acris Investiva in Schisma Urbani VI. et Clementis VII. quod Monstrum Babylonis adpellatur. Ejus initium:*

*Heu frustra scripsi, multos dilectamine movi  
Prosayco, nichil est, quia nemo mouetur in orbe  
Cogitet ut quicquam super hijs, que scripta ferebant.  
Insultat calamus, dicit, me cur agitasti?  
Estque molesta manus, quia perdidit ipsa laborem &c.*

Vides vel ex his meliorem fuisse Theologum *Henricum*, quam Poetam. Sensa certe gravia sunt,

quae de Origine, Damnis et Modis compescendae hujus Scissionis depromit. Inter alia optat

*Tollere vesanum caput unum, uel duo, quippe  
Ecclesie corpus nullum vult, vel caput unum.*

Petit

2025-07-01

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4919

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

461

## HERMENEUTICI.

462

Petit opem Imperatoris (nempe *Wenceslai*)

*Quid facis o cesar, tu cum sis nauta secundus  
 Quin manus apponis nauicule pereunti —  
 Est aquile grandis ubi nunc visus peracutus &c.*

Vertit se etiam ad Regem Fran- ciae (Carolum VI.) Inter alia:

*Non nigram fugiant aquilam que regnat in auro  
 Lilia celesti que stant aurata colore &c.*

Ad calcem legitur: *Explicit In- uectiva contra Monstrum Babylonis Magistri de Hassia, qui erat Doc-* *tissimus Hominum Studij Wien- nensis Austriae, et post 5. folia vacua hoc Distichon:*

*Annis bis mille post partum uirginis alme  
 Tunc antichristus nasceretur crimen plenus.*

VI. fol. 110. *Epistola Magistri Heinrici de Hassia de futuris periculis ecclesie. ex dictis sancte Hildegardis. Inscrifitur: Reuerendo in christo patri Domino. E. (Eccardo) Episcopo Wormaciensi. H. de Hassia cum Monachis Erbacen. (seu Everbacensis, ubi Gebeno Promulgator Pentachroni Hildegardis Prior fuerat) cenobij degens inter quercus et fagos futurorum consideratione incautari (seculum reddi) quoniam vere dies mali sunt. Initium: Multifariam multisque modis olim Deus locutus est &c. Epistola maximam partem constat locis ex Hildegardis Epistolis ad Clerum Trevirensim et Colonensem carptis. Meminit ejus Fabricius Bibl. med. Lat. L. VIII. p. 218. Exemplo nostro ad oram infer. haec accubat Nota: quod prefatus magister Henricus hanc epistolam scripsit et destinavit circa annos domini. M. CCC. LXXXIII.*

quando receffit a studio parisensi propter magnum scisma ecclesie quod tunc cepit inter papas. Sed pace Notarii Schisma jam exeunte a. 1378. cepit, et Henricus jam a. 1379. uti dictum superius, Viennam advocatus fuit. Itaque Epistolam alterutro horum annorum scriptam arbitror.

VII. fol. 130. *Incipit liber psal- morum seu ymnorum soliloquiorum dauid prophete de christo. Psalmorum tantum indicantur Initia, plurimis tamen praefixa sunt Argumenta, et singulis subjectae Colleuae five Orationes, quas editas habes in Opp. Georg. Cassadori Paris. 1616. p. 423. f. Ultimi tres Psalmi in Exemplo nostro deficiunt. Vide et Cod. DCCCL.*

VIII. fol. 164. *Incipit laurea sanctorum. Est Calendarium Metricum, ad quod rhythmis introducimur, quorum initium:*

Cum

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4919

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

463

C O D I C E S

464

*Cum sit necessarium sanctos invocare,  
 Ut factorem omnium velint exorare,  
 Ne mole peccaminum fontes opprimantur,  
 Sed salutis bravium cursu nanciscantur,  
 Quoddam Kalendarium sive letaniam  
 Tam per metrum varium quam per rudem viam  
 Animo curriculo quidam compilavit,  
 Et pro latino pueris discentibus donavit  
 Imitans compendium versuum illorum  
 Cisio Janus epi &c.*

Calendarium ipsum sic inchoat:

*Nos circumcidat Deus et mala cuncta relidat.  
 Qui circumcisus propter nos est homo visus.  
 Misticæ dona ferunt tria tres magi duce stella,  
 Et puerum querunt natum de uirgine bella.  
 Christum quesistis simul et matrem reperiistis.  
 Ut celum meritis ascendam supplico vestris.  
 Celi nos aule socies Heremicala Paule &c.*

Et decurso Anni circulo sic pergit:

*Ledor quisquis eris, si forsan discere queris,  
 Auctoris nomen, pete quod sibi det deus omen,  
 Et lege, quod sequitur, quia velatum reperitur  
 Versibus in trinitate, operis sit postea finis.  
 Ultima sit prima vocalis (U) quarta sit yma (O)  
 Quintaque mutarum (G) medium conseruet earum.  
 H. preponatur, sic nomen et inueniatur.  
 Quis natu fuerit idem, si quis modo querit  
 Scireque dignatur, hic protinus expediatur.  
 Iste dei verna de villa nomine werna  
 Frankorum natus in Babembergque moratus  
 Hec tibi dictauit &c.*

*Hugonem itaque habemus natum  
 in Pago Franconico Ober-vel Unterweren sic dicto a Fluviolo cognomine et moratum Bambergae;  
 sed antequam plura de eo dicamus, id, quod in Codice sequitur, indicandum est.*

IX. fol. 171. Προτωποποϊα germanica Juventutis et Senectutis praenotata: *Hec Magister Hugo de Babemberg, qui librum dictum der Renner fecit, dictauit, et est principium ipsius libri.* Verum id esse, inspectus Codex inter Phi-

lolo-

2025-07-01

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4919

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

465

## HERMENEUTICI.

466

*lologicos Mſ. Bibl. Caſſ. docuit; lius diſti der Renner (quasi Cursor idem enim, ut hic, Poematis il- aut Pedissequus) initium eſt:*

*Ich bin die iugent, die die tugent  
Vnd vntugent grifet an.  
Min gemüte ſtet in blüte  
Die wyle ich nit ſorgen han &c.*

Idem de Senectute intellige. Sed deinceps in *Codice praesenti utraque haec Πεστωποια latine red-*

dita legitur hoc titulo: *Sequuntur rigme (rhythmi) eiusdem in latino.*

*Ducta per Euentus transit male ſulta iuuentus.*

*Juentus dicit.*

*En Juentus per euentus*

*Mea cerno ſtudia.*

*Nunc benigne nunc indigne*

*Vite ducens gaudia. &c.*

*Seneclus dicit.*

*Triste gerens peclus frigescit cana seneclus.*

*En seneclus gero peclus*

*Vacuatum ſanguine,*

*Rifi dudum amans ludum,*

*Leto gaudens omine &c.*

Non videtur ratio, cur quis dubitet, verba illa: *Sequuntur rigme eiusdem in latino*, innuere, *Hugonem ipsummet ſibi μεταφεαſνυ*

egiffe; de *latine* enim a ſe ſcriptis Opusculis testatur in Praefat. *Renneri*:

*Uor hett ich Syben piüchlein  
In täutsch gemacht vnd in latein  
Fünftalbs.*

Atque inde conficio *Hugonem de Trymberg* Scholae in Suburbio Texerstat ad Bambergam, ut ipſe de ſe in conſluione *Renneri*, per 40. annos Moderatorem eundem eſſe cum *Hugone de Werna* ſeu *Weren morato in Babemberg et Laureae Sanctorum N. VIII. indi- catae Autore*, quam pro *latino* *Denis Codd. mſs. theol. Bibl. Palat.*

*pueris*, quemadmodum ibi vidi- mus, *diſcentibus donavit*. Itaque et munus Ludimagiftri congruit. Neque minus aetas. Poema *Renneri* in conſluione confeſtum di- citur anno 1300. compositis jam prius *Septem Libellis germanicis*, et quatuor cum medio latinis, ut paullo ante obſervatum eſt. Por- ro

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4919

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

467

## C O D I C E S

468

ro *Theodoric. Engelbusius* in  
*Chronico T. II. Scriptor. Brunsvic.*  
*Leibnit.* p. 1121. sub tempora  
*Rudolphi I. Imp. scribit: Hoc tem-*  
*pore floret Bambergæ Poeta mo-*  
*dernior dicitus Hugo, qui omnes*

*Poetas in unum redegit, sub pul-*  
*chra prosa tempus et materiam ip-*  
*forum pertraffans, cuius Historiae*  
*Poetarum etiam clausulam*  
*subdit:*

*Mille simul cum ducentis annis copulatis*  
*Ottaginta simul praesens fit arte registrum.*

Nec ea contentus binum quoque  
 ex illa depromit specimen pagg.

1107. et 1110. quorum prius  
 incipit:

*Scriptura sacra continet prosaycos scriptores*  
*Quamplures et metricos insimul auctores*  
*Inter quos præcipue Sedulius ponatur*  
*Sibi quidem metrico prima sedes datur &c.*

Vides idem rhythmii genus, quo elaborata est *Introductio ad Lauream Sandorum.* Si itaque *Hugo*, dum a. 1300. *Rennero* finem imponebat, jam 40. annis Scholam suburbanam *Bambergæ* rexerat, facile intra hos annos et anno 1280. *Historiam Poetarum*, et aliis alias 10. Libellos cum medio confidere potuit, quos inter et *Lauream nostram*, et Poema germ. *der Sammer vel Sammeler*, de quo in clausula *Renneri* ipse meminit. Reliquos octo cum medio vel interiisse, vel etiamnum in Bibliothecis delitescere credibile est. Vix enim ausim *Fabellas* illas, quae typis expressae in Bibliotheca *Guelpherbyt.* extant, et *Bambergæ* a. 1461. finitae dicuntur, *Hugoni* tribuere. Nam licet 20 finitae nil aliud hic significare posse, quam *descriptae arbitrer*, uti etiam adstipulatur Co-

*dex Renneri Caef.* qui *completus* dicitur anno 1402. aliis tamen argumentis destituor. Vide, quae de iis ad *Cod. CCCLVII.* notavi.

X. fol. 172. praefixo *Hieronymi* in *Libro de Viris Illustr.* testimonio *Prophetia Methodio Ep. Patarense* perperam adscripta, quae *Cod. DCXXXII.* et alibi indicata est. Ad calcem minio: *Explicit liber Metodij martyris et episcopi translatus a Petro in latinum. Quis hic Petrus?*

XI. fol. 183. p. 2. *Prædicatione*, ut e calce praeeoccupo, *magistri laurentij doctoris medicine Magistri Domini Reynoldi ducis Gelrensis pie memorie.* Titulus: *Anno Domini M. CCCCXXIII. vaticinium futurum.* Carmen hexametrum 40. versuum leoninorum:

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4919

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

469

## HERMENEUTICI.

470

*Annis bis binis mundo suppono ruinis,  
Hoc vi nature, quod vult deus, hoc mibi dure  
Effet narrare &c.*

Itaque sapit et nihil narrat, nisi  
quod in omnibus ejusmodi Vati-

ciniis legas, morbos, famem,  
terraemotus. Sub finem tamen:

*Exurget sēta quadam nouitate refēta,  
Archimandrite fidei vix fit mora vite,  
Imperium titubans erit et rex vix st̄abilis st̄ans.*

Non expectavit Eventus a Magi-  
stro praedictos Renaldus Juliaci  
et Geldriae Dux IV. sed anno  
1423. obiit.

XII. fol. 199. Sequuntur sa-  
lutationes ad beatam uirginem Ma-

riam super Psalterium. Psalmi cu-  
jusvis tantum indicatur initium,  
quod excipiunt Rhythmi ad hunc  
modum:

*Ave uirgo lignum vite  
Quod dedisti fructum (rite?)  
Saluti fidelium.*

*Beatus Vir.  
Genuisti Christum ibesum  
Sed pudoris non est lesum,  
Nec defluxit folium.*

*Quare fremuerunt. &c.*

Simile quid habes in *Psalterio Mi-  
nori B. V. Mariae*, quod extat  
inter Opera Bonaventurae T. VI.  
edit. Lugd. 1668. p. 473. f.

CLXVII.

VII. ii

559 Codex membraneus lat. Sec.  
XII. Folior. 139. 4. eleganter  
exaratus, rubricisque distinctus  
pertinuit olim ad Monasterium S.  
Marie alias Scotorum Wyenne.  
Hermeneuticus est, complectitur  
que Sequentia: I. Prefationem S.  
Jeronimi super Interpretationibus  
Hebraicorum nominum, quae inci-  
pit: Non statim ubiunque ex A

littera &c. et extat edit. Vallars.  
T. III. col. 3. Verum, cum ibi  
terminetur his verbis: *in interpre-  
tatione variari*, in Codice ulte-  
rius ita procedit: *Quod de A.  
diximus. hoc ipsum quoque in S.  
littera obseruandum est. Si quidem  
apud hebreos tres sunt littere. una  
que dicitur samech. et simpliciter  
legitur quasi per nostram litteram  
describatur. Alia Sin. in qua stri-  
tor quidam non nostri sermonis in-  
terstrepit. tercia fad. quam nostre  
aures penitus reformident. Sicubi  
ergo euenerit ut eadem nomina  
non similiter ponantur. illud in cau-  
sa est quod diuersis apud hebreos*